17

CARMINA

IOSEPHI POLISICCHIO

IN PARTES DUAS DISTRIBUTA.

> Auream quisquis mediocritatem
> Diligit . . .
> Hor. Od. X. Lib. II. 5.

NEAPOLI,
EX TIPOGRAFIA TRAMATER
Juxta Ecclesiam S. Joannis Majoris N. 20.
CIƆIƆCCCXXVIII.

Tendimus in Latium, sedes ubi fata quietas
Ostendunt.

VIRG. ÆNEID. I. 209.

ILL. AC REVEREND. DOM.

D. ANTONINO M.ᴬ MONFORTE

EX DUCIBUS LAURETI, PATRITIO NEAPOLITANO, SACRÆ THEOLOGIÆ MAGISTRO, DEI ET APOSTOLICÆ SEDIS GRATIA S. TROIANÆ ECCLESIÆ EPISCOPO, BARONI S. LAURENTII IN CARMINIANO, UTILI DOMINO FEUDORUM MONTIS CALVELLI; ET S. NICOLAI, EIDEMQUE S. SEDI IMMEDIATE SUBIECTO, AC S. R. M. A LATERE CONSILIARIO

IOSEPHUS POLISICCHIO

S. P. D.

Quum satis scito ac laudabili consilio, Praesul amplissime, ab remotissima antiquitate factitatum videam, ut ii fere omnes qui suas lucubrationes publici iuris facerent, praeclarum aliquem virum sibi suisque scriptis patronum deligerent; mihi praesertim hanc consuetudinem nullo pacto omittendam duxi, quem perexigui ingenii, rudisque animi conscientia iure meritoque deterret. At,

Deo bene iuvante, hoc ego boni faustique nactus sum, quod nec operose deliberandum fuit nec diu, quo potius inlustri nomine probe decoros tutatosque hos paucos versus prelo committerem. Te enim statim cogitavi, Antistes ornatissime, in cuius tutelam, sponte sua, ut ita dicam, meus hic liber se recipit. Ac re quidem vera, primum omnium nullus dubito, quin tam anxio in negotio, tamque periculosae aleae pleno mihi Tu velis adesse, qui, tot collatis beneficiis, singularem prorsus in me benevolentiam locupletissime demonstrasti. Deinde, si quis unquam alius, Vir egregie, Tu hercle is es, qui potentissimo patrocinio omnem mihi trepidationem, omne adimas periculum, spemque animumque mirifice addas. Tu inquam, qui nobilissimis Atavis editus, Episcopatus maiestate, in-

comparabili doctrina, morum integritate, infatigabili propemodum vigilantia prudentiaque in Dioecesi, quam tibi demandarunt, administranda, ita maiorum tuorum splendorem superasti, tantamque gloriam proprio Marte adeptam eorum gloriae adiunxisti, ut generis egregia nobilitas sit ultima tua laus. Tibi igitur, ad hos versus protegendos prae ceteris omnibus nato, eosdem nuncupari aequo patere animo; meque multis nominibus iam Tibi devinctum, ob hoc etiam benefactum magis magisque addictum, deditum, obstrictum habebis. Vale.

PARS PRIMA

EGLOGA I.

Castigati tantum poëtae, ac bene morati legendi sunt.

CORYLUS, ALCIMUS, PALÆMON.

Pal. Eia agite, o iuvenes, animos accendite vestros,
Suscipite atque novam fortes duramque palaestram:
Quandoquidem est vobis animus certare canendo,
Hic locus est pugnae, hic vestras ostendite vires:
Carminibus campi laetentur, et undique plausu
Assonet ah! vobis dulcis cantantibus Echo:
Ipse egomet tribuam victori praemia digno.
Cor. Non ego certamen fugio, tantumque laborem.
Ille ego sum Corylus, toties qui carmine vici
Pastores, versus praebet cui magnus Apollo:
Damonem et Mopsum novi superare canendo,
Quos ego deiectos vultu, magnoque rubore
Suffusos vidi nostris discedere campis
Cum cecini docta pergratum carmen avena;
Alcimus et quamvis mecum certare paratus
Adveniat, tumidam deponet pectore mentem.
Alc. Sit procul, et cedat nostro de corde poësis.
Quid mihi vobiscum est, infelix cura Camoenae?
Est animus posthac omnes contemnere Musas,
Tristia adhuc nostram conturbant somnia mentem.
Cor. Alcime quid cunctaris adhuc, quae somnia narras?
Occultare metum tentas, quem pectore versas,

Et renuis timidus mecum certare canendo.
Praemia (quis prohibet) tribuat mihi iusta Palaemon
Quae dixit, stat enim Corylo victoria magno.
Pal. Sume animos, iuvenis, moesto quid pectore versas,
Alcime, quaeve tuam mutat sententia mentem?
Eia age, rumpe moras, nobis tua somnia pande
Quae exagitant mentem, turbataque pectora vexant;
Sacra etenim tribuisse Deos mortalibus aegris
Somnia cognovi, reserant quae arcana futuri.
Alc. Visa loquar; nostris aures advertite dictis.
Nullaque sincera resident mendacia lingua.
Dum fessus placida laxabam membra quiete,
Adstitit ante oculos rupes Parnassia nostros:
Innixus solio formosus Apollo residit,
Qui cytharam nervis, qui nervis temperat arcum:
Doctae stant circum Musae iuga sacra colentes
Parnassi, vatesque volumina magna ferentes
Aspexi, et libris tellus contecta iacebat,
Librorumque altus surgebat ad aethera acervus.
Lumina ad hos volvens, et non ignarus Apollo
Quid valeant, referant quae carmina scripta libelli,
Ipse manu paucos cumulo desumit ab alto,
Quae cedro digna, et longos servanda per annos:
Excipit illa manu, vatum plaudente corona,
Ast reliquos castus flammis addicit Apollo.
Nec mora, consurgens titio de sedibus imis
Omnia consumens cumulo spatiatur in alto,
Et tandem in cineres obscoena volumina solvit.
Postquam collapsi cineres, et flamma quievit,
Protulit has voces casto de pectore Apollo:

Discite nunc vates castos componere libros,
Et fescenninos versus donarier igni.
Auctores potius flammis tamen ipse dedissem
Tartareis, cui noceant ne obscena canentes.
Talibus attonitus dictis, tremor occupat artus,
Excutior somno, mens est odisse Camoenas.
Cor. Haud ego quae narras teneo, non somnia nostram
Stulta fidem meruere, o Pastor: tu magne Palaemon
Hos fescenninos versus, et carmina pande;
Nunc primum hoc nostras nomen pervenit ad aures.
Pal. Quid non mens hominum traduxit perfida? nonne
Iustitia et Pax, et leges celebrarier almo
Carmine debuerant, hominumque illustria facta,
Numina et e caelo nostris dominantia terris?
Ast nunc, proh Superi! mundo argumenta malorum
Eveniunt versus, quos indignatus Apollo
Tetris imposuit flammis obscena ferentes,
Nec non queis inerat damnosa licentia libros.
Urbs etrusca fuit celebris Fescennia, laxas
Moribus impuris primum quae misit habenas
Hinc sacra contagies tantorum causa malorum
Stultorum et potuit vatum praevertere mentem.
Sit satis, o iuvenes, vestras nunc exigo mentes,
Quae mora vos retinet? dulces depromite versus
Materiem cantus vobis praebebit Apollo.
En roseum sertum gratum quod spirat odorem
Victori dabitur, qui carmen Apolline dignum
Dixerit, et castos scierit componere versus.
Incipiat Corylus, teneat vestigia cantus
Alcimus, atque sequar iuvenes dein ipse canentes

Cor. Ab Iove principium doctae vos sumite Musae
Languescent flores ; caelo ni venerit imber.
Alc. Ab Iove principium doctae vos sumite Musae.
Ni radios mittat sol, haud flavescit arista.
Pal. Ab Iove principium doctae vos sumite Musae.
Non mare ; non tellus, aër, frondesque moventur,
Mortalesque homines nutu sine Numinis alto.
Cory. Ac veluti spirant zephyri de collibus altis,
Sic pia Parnassum volitant documenta per altum
Sertaque virginibus data sunt gestanda Deabus.
Alc. Ac veluti in terras impurus decidit humor ;
Haud aliter foeda obscenorum in pectora vatum
Carmina devenere, igni servata furenti.
Pal. Claudite iam pueri rivos: armenta vagantur
Per campos : plures meliori tempore versus
Dicemus, sculptos habeat quos delphica laurus,
Melpomene et forsan cedro servabit olenti.

EGLOGA II.

In ortu Domini Iesu Christi.

CORIDON, MOPSUS.

Cor. Quid non, Mopse, tuas cogis de more capellas?
Ecce cadunt primae summis de montibus umbrae,
Nox venit, exprobrantque tuam nova sidera, Mopse,
Segnitiem, pater ardet oves concludere septo.
Mop. Quid patrem memoras, Coridon, tardasque capellas?
Nil moror ipse patrem, nihil ipse referre capellas;

Me novus hinc me cogit amor: pecori ille, parenti,
Me mihi subripuit, puer est qui nostra lacessit
Pectora, quem primum contendam visere anhelus.
Cor. O male caute puer, quae te dementia cepit,
Ut puerum visas, audes contemnere patrem?
Mop. Ut puerum visam, praestat contemnere patrem;
Ast oh quem puerum! quam dignior ille parente!
Cor. Scilicet insanis, puerum puer ipse fefellit.
Mop. O Coridon, Coridon si tu mea gaudia nosses,
Si nosses puerum, quoque te meus ardor haberet.
Insanire libet, grata haec insania amanti.
Cor. Qui puer hic fuerit, quem sic tu Mopse profaris?
Pande precor; nos et feriat; si dignus amore est.
Mop. Rex ille, o Coridon, nostra de gente futurus,
Quem nostri pridem celebrarunt carmine Patres
Promissusque diu, Bethlaeas venit ad auras,
Nectareis quem Virgo fovet castissima mammis.
Haec Lycidas retulit; Lycidas, qui viderat ipse.
Cor. Scilicet hoc fuerat, molli quod lentus in umbra.
Dum sedeo, insolitum festae strepuere cicadae,
Et volucrum festo plasuerunt carmine silvae.
Hoc fuerat, pater ipse gregis, quod luce sub ipsa
Ter visus choreis totum circumdare septum
Festivus passim dum grex ovat undique saltu.
Mop. Non oculis tenuisti, quod mea lumina traxit:
Veris ope siccos bruma progignere truncos.
Et renovare suis extentas frondibus umbras,
Aut gestire novo gaudentem germine terram.
Sed quid parva loquor? Septem compacta cycutis
Fistula non ullo modulos dat flante canoros.

Ast ego quid lentus sine te, quid, pupule, lentus
Hic piger, hic maneo! puerum modo visere pergam
Hinc procul; hinc dulces agni, grataeque capellae.
Tu Coridon mecum aut veniens venerabere natum,
Aut hinc solus abi, modo ne mea vota retardes.
Cor. Fortunate puer, qui tam nova gaudia nosti
Tecum ipse et veniam, dulci fruar ipse puello.
Mop. Recta pergamus: nostros sibi poscit amores
Hic puer, hic tanti gratissima causa laboris.
Cor. Fortunata dies, quae tot mihi gaudia praebes!
De nostro gratae ceciderunt corde capellae,
Grex simul et pratum, quondam mea cura, recessit.
Tu solus, Tu noster amor, tutela salusque.
Mop. Tu Coridon iam parce viae: nox imminet atra,
Gaudia nox rapiet, ni nos properemus ad antrum.

EGLOGA III.

In idem argumentum.

LYCIDAS, MOPSUS, TITYRUS.

Lyc. Mopse; gradus propera, nostra et vestigia ne te
Forte sequi pigeat, tibi grandia pandere mens est.
Haud frustra summo mane aufugientibus astris
Aurora referente diem, de vertice collis
Cycnorum strepitus nostras pervenit ad aures,
Quaeis niveae plumae mulcentibus aëra cantu.
Mop. Quo properas Lycida? quo me nunc vertere gressus
Impellis gravibus confectum pectora curis?

Anxia cura gregis retinet mihi credita, nostrum
Nec tetigere animum volucrum certamina cantus:
Faucibus haud poterant agnos removere luporum.
Lyc. Quas, Mopse, insidias memoras, quae pascua narras?
Pectore solve metum, miseris pastoribus aeque
Ac gregibus tandem venit felicior aetas.
Haud fallor: remanent alta nunc mente repostae
Aligerum voces, media quae nocte per agros
Hos late effusae resonabant undique plausu.
Fortasse exurgit toto aetas aurea mundo
Pulchrior et colles perfundet lumine Phoebus.
Tit. Quid dubitatis adhuc pueri? consurgere florem
Iessaeum hisce oculis aspexi, antrumque beatum
Divinus pannis recubans ubi vilibus Infans
Frigora dura ferens, divinum spirat odorem.
Ast properate gradus, ad collem vertite gressus,
Qui propior nobis adstat: fas cernere vobis
Illic prodigia elapsis incognita saeclis.
Mop. Ergone spes mundi longo post tempore tandem
Expectata refert lucem mortalibus aegris?
Ergone fas nobis antrum penetrare beatum
Et prope Divinum dabitur cognoscere vultum.
Lyc. Magnus ab integro saeclorum nascitur ordo
In terris, socii; sed dic nova; Tityre, monstra,
Arcana haud pigeat tantorum pandere rerum.
Tit. Magna canam, sed vera; animos advertite dictis.
Vix ingressus eram sacrati limina tecti,
Et nondum inflexa veneratus fronte Tonantem,
Tres egomet vidi Reges sacra tecta subire,
Auro longe effulgentes, ostroque decoros.

Extemplo flectunt genua, et cervice coronas
Eripiunt, sceptrumque manu posuere superbum.
Dona Deo tribuunt: myrrham, thus dicere et aurum
Quis poterit cunas sacratas ante repostum?
Vota quis enumeret, quis verba precantia Regum
Narret? queis coelo resonabant cantibus almae
Aligerum turmae? quarum vox percutit aures
Dulcis adhuc nostras. Sed quae nunc causa moraretur?
Vos Felix expectat: vos sacra munera ferte,
Digna Deo, cantuque viae relevate laborem.
Lyc. Nascere, Magne Puer, duras et rumpe catenas
Tartareas, coelumque aperi mortalibus aegris.
Mop. Nascere, Magne Puer, densa caligine Mundum
Solve, novo miseri repleantur lumine campi.
Lyc. Ipse rudis pauperque feram quae munera pastor?
Digna tibi referam meritae quae carmina laudis?
Virgulto nuper defessa columba residit.
Mop. Ipse rudis pauperque feram quae munera pastor?
Digna tibi referam meritae quae carmina laudis?
Candidus en agnus, pulchra cui fronte notantur
Iridis insignes adverso sole colores.
Lyc. Poplite deflexo castam tribuam ipse columbam:
Illius ipsa dolens vagitibus assonet Echo.
Mop. Dumque tibi hac dextra mitis mactabitur agnus,
Aligerum turmae coelo te laudibus aequent.
Tit. Ferte igitur, Iuvenes, manibus sacra munera plenis.
Haud Deus omnipotens hos dedignatur honores,
Innocuus regnet vestro si pectore candor.
Grata columba Deo ramum praetendit olivae
Egrediens arca, et pacem prima attulit orbi;

Dum mare praeruptum montes superaverat altos:
Ipse agnum accipiet; signum nam foederis Iris.
Aspicite; exurgunt iam iam fastigia Bethlem.
Sit satis, o socii; cantus placuere Tonanti.
Ingressi magnum veneremur Numen Olympi.

EGLOGA IV.

In passione Christi Domini.

TITYRUS, ERGASTUS, MOPSUS.

Erg. Collige, Mopse, pecus; nubes coelumque diemque
Eripuere oculis, tempestatemque sonoram
Portendunt, crebrique erumpunt nubibus ignes.
Mop. Quae fera monstra canit coelum, casusque sinistros?
Nonne vides Phoebum cohibentem lumina ab alto?
Veris ubi aspectus, reddunt quo prata colores,
Laetae ubi surgentes segetes viridantibus agris?
Erg. Omnia triste gemunt montes, vallesque supinae,
Et prata, et campi, colles, silvaeque profundae.
Mop. Omnia triste gemunt, pelagusque Genesareth altum
Iam procul infremuit vento, et spumantibus undis,
Certaque iam timidis intentat funera nautis.
Erg. Omnia triste gemunt: properat sed Tityrus ad nos
Tristia praeduro confectus corda dolore.
Huc propera, o pastor; versas quas pectora curas
Ingentes aperi; magni quae causa doloris?
Haud fax illa tuis tranquilla renidet ocellis,
Qua blandos audire soles, ac reddere versus.

Interea magno auditur dum murmure caelum
Misceri, haud pigeat caecum concedere in antrum.
Tit. O Lacrymae rerum tristes, mistaeque quaerelis
Rumpite corde meo voces, nunc parcere multis
Haud tempus lacrymis; in amaros lumina fletus
Solvite vos mecum, Iuvenes, et quaestibus aër
Ingemat, et moerens lacrymis respondeat Echo.
Insolito resonent hinc atque hinc murmure valles.
Erg. Triste quod augurium? crudelia fata renarra,
Pastor, et ingentis fuerit quae causa doloris.
Tit. Crudeles animae! riget queis pectore diro
Æs triplex, ausae tantum consciscere crimen!
Nec cecidere manus, nec mens scelus horruit ingens,
Nec gladius veluti pulvis diffractus in auras!
Heu siccis oculis potuisti cernere cladem
Horrendam, sacro foedare et sanguine palmas?
Mop. Quam memoras cladem, quae barbara pectora narras?
Quis fuit infandi crudelis criminis auctor?
Tit. Quamquam animus meminisse horret, luctuque refugit,
Expediam. Thyrsis pastorum gloria, campi
Almus honor, nostri custos gregis inclytus eheu!
Concidit Isacidum manibus percussus iniquis.
Ipse egomet nuper pendentem stipite duro
Aspexi lacrymans crudeli occumbere morti.
Occubuit Thyrsis, scelerataque turba furorem
Explevit, rabiemque trucem saevumque venenum,
Ausaque in innocuum truculentas vertere palmas,
Laetitiam nostris quondam qui detulit agris.
Erg. Occubuit Thyrsis: potero qui ducere ad undas
Imbelles agnos, teneros que ad pascua foetus?

Mop. Occubuit Thyrsis: sertis intexere flores
Qui potero, et cum Dameta certare canendo?
Tit. Sumite, Pastores, animum; nunc dicere carmen
Tempus, et in moestos solvi nunc pectora cantus.
Erg. Non tygris innocuum frendens sic abripit agnum,
Pascitur et teneros discerpens unguibus artus,
Tortor ut insontem prostravit vulnere Thyrsim.
Mop. Non sic percutiens segetes ruit aethere grando,
Thyrsidis exanimum ut repetitis ictibus ausus
Perfidus est tortor livens contundere corpus.
Tit. Non sic horrida hyems saevis certantibus austris,
Golgothae ut aspectus teterrimus: alta videres
Robora ubi excutier; fagosque inflectere frontem,
Et pinus, tenebris velantibus aëra circum,
Mundus in antiquam visus rediturus abyssum.
Erg. Immemor et sobolis nido delapsus ab alto,
Thyrsi gemens querulis turtur te cantibus urget,
Te ferrugineo deflebunt prata colore,
Murmure et heu tristi percurrens fluminis unda.
Tit. Huncque diem referens flebit te mobilis annus
Tristis, et abripiet lucem mortalibus aegris.
Erg. Thyrsi tuas laudes mea fistula grata quotannis
Concinet, et repetent circum tua nomina valles.
Mop. Incidam fagis tua nomina, Thyrsi, quotannis;
Monteque in excelso mitis mactabitur agnus.
Tit. Sit cecinisse satis, iuvenes, vultuque remisso
Ad sacrum montem celeres nunc vertite gressus
Illic fas vobis extinctum cernere Thyrsim,
Et colere exuvias rorantes sanguine sacras.
Passibus ast tremulis properate per ardua montis,

Est via divinis pedibus signata cruentis,
Thyrsidis et sacro madefacta est sanguine tellus.

EGLOGA V.

De Veterum pyramidarum structura.

LYCIDAS, ERGASTUS, PALAEMON.

Lyc. Quae saxa adnitens, Ergaste, ingentia volvis
Arboribus tecta, et caecis latitantia dumis,
Obtutuque haeres nimium defixus in uno,
Undique sparsa solo coementa, et rudera spectans?
Erg. Vestigare iubet veterum monumenta virorum,
O Lycida, et moles quas alta ad sydera struxit
Marmoreas, immenso ars ingeniosa labore,
Queis Regum Nili vulgata est fama per orbem,
Sed miro incensum pectus conflagrat amore
Noscere verborum sensus, quae sculpta vetusto
Huic saxo adspectas. Quae sint ea verba referre
Haud pigeat, Lycida, et pingui donaberis haedo.
Lyc. Deciperis, non ulla premit me cura, Palaemon
Huc properans poterit reserare tibi abdita rerum.
Illius excellens residet sapientia menti,
Et documenta fluunt facundo blandius ore,
Mella favis veluti decurrunt dulcia plenis.
Erg. Expectate senex propera, densasque tenebras
Discute, quae rapiunt dubiam in contraria mentem,
Quaeque notis lateant rerum mysteria pande.
Pal. Haud animus refugit vestris concedere votis.

Discite nunc, iuvenes, animumque advertite dictis,
Quae fuerit quondam Ægypti dementia Regum.
Pyramis hic ingens luxu constructa superbo
Extitit, et vasta late loca mole replebat,
Ardentes feriens sublimi vertice stellas.
Nobilis intus erat tectorum pervius usus:
Atria marmoreis extabant ampla columnis.
Crederet ecquis enim durum, et lacrymabile visu!
Turba virum, infelix diris constricta catenis
Heu nimium sudore madens, defessa labore
Linquebat dulces animos; aut membra trahebat
Languida: nulla quies aderat mortalibus aegris.
Sic tumulum struxit vesana superbia Regum,
Quem fera barbaries post funera dira negasset.
Tempus edax merito supremo a vertice stravit
Moles; et Thyrsis finxit, quae docta Minerva
Saxo huic, quod superest, inscripsit verba, vetusto:
Pyramides struxit vesana superbia Regum
Ægypti quas tempus edax a culmine vertit.
Erg. Stratae igitur iaceant disiectis molibus aedes.
Prorsus et e miti pastorum pectore cedant.
Ah pereant! posthac avertere lumina ab illis
Mens est, et Regum fastus odisse superbos.
Lyc. Ad dulces armenta lubet mihi ducere fontes
Et campos, surgunt ubi pascua laeta iuvencis,
Quam lustrare oculis mentis monimenta superbae.
Pal. Attamen obstupuit mirans haec stulta vetustas
Pyramides numerans inter miracula septem.
Nil constans natura dedit mortalibus unquam;
Cuncta sed interitum spectant; vorat omnia tempus.

Quis prohibet, iuvenes, calamos inflare repostos?
Materiem vestri tribuent haec rudera cantus.
Extitit alta diu sublimi vertice pinus:
Victa sed heu tandem, crebrisque bipennibus acta
Concidit infelix, truncusque iacebit arena.

Lyc. Infremit altus aquis pontus certantibus austris,
Tristiaque heu miseris intentat funera nautis:
Ast procul amotis ponit tumida aequora ventis.

Erg. Perfurit effusis hyberno tempore torrens
Imbribus, evertens hominumque boumque labores,
Pastorumque casas disruptis gurgite ripis;
Tempore et aestivo squallens ab origine rivus
Cursu humili fertur, ripisque includitur arctis.

Lyc. Ducere dulce dies laetos sub tegmine fagi,
Cernere quam veterum praecelsa palatia Regum,
Livor ubi dirus pallens et cura recursat.

Erg. Dulce mihi varios sertis intexere flores
Decerptos campis, nimio quam vivere luxu,
Qui miseros cogit languentem ducere vitam.

Pal. Dulce est, pastores, vestri modulamina cantus
Excipere aure, sequi cythara fidibusque canoris.
At sol occiduas pronus festinat ad undas,
Atque armenta monet tutis includere septis,
Ne pateant miseranda lupis raptoribus esca.

EGLOGA VI.

In illud Horatianum

Mors et fugacem persequitur virum,
Nec parcit imbellis iuventae
Poplitibus, timidoque tergo.

ERGASTUS, CORYLUS, PALÆMON

Pal. Quae tanta, o iuvenes, vestri discordia vultus
Quidve rapit vestras studia in contraria mentes?
Exultans animis magnam quam pectore claudit
Laetitiam ostentat redimitus tempora multis
Floribus Ergastus, sacras de pectore voces
Effundens mulcet sylvestria numina cantu.
At Coryli mens stat magno defixa dolore.
Infelix iuvenis! turbati nuncia cordis
Signa praeit vultus; lacrymas effundere amaras
Quid pergis, iuvenis? nimio iam parce dolori.
Erg. Si tibi tantus amor nostrae cognoscere causas
Laetitiae, o venerande senex, o magne Palaemon,
Expediam: circum ridet laetissima tellus;
Mutat terra vices, superant nec flumina campos,
Tristitia nec canis albescunt arva pruinis;
Ac neque iam stabulis gaudet pecus, aufugit ignem;
Diffugere nives, redeunt iam gramina campis;
Arboribusque comae detonsae frigore, et austris;
Iucundum volucres concentibus aëra mulcent,
Vere novo laetis decorantur floribus agri;

Nunc blandi soles, peregrinaque prodit hirundo;
Gratia cum Nimphis, geminisque sororibus audet
Ducere laeta choros, virides percurrere et agros;
Ver igitur laetum nostrae fit causa Palaemon
Laetitiae, hinc nostrum pertentant gaudia pectus.

Cor. Ast ego qui possum lacrymis nunc parcere multis,
Pellere et immensum nostro de corde dolorem?
Quis Thyrsim extinctum crudeli funere spectans
Temperet a lacrymis raptum iuvenilibus annis?
Heu quis, Thyrsis, adhuc poterit tua dicere facta?
Insignis pietate et relligione Deorum,
Multos illa tuae rapuit clementia formae,
Et nitor et candor pacato in pectore. Thyrsis,
Comis amabilitas, facilis reverentia cultus,
Eloquii gravitas in tempore, gratia linguae,
Multa tibi, o iuvenis, simplex modestia vultu;
Haud tibi mens unquam damnis nocitura cruentis.
Quod tibi consilium fuit, et prudentia falli
Nescia! nec tenuit mentem scelerata cupido
Ulla auri vexans mortalia pectora morsu.

Pal. Quae, iuvenes, mentes agitat dementia vestras?
O Coryle, heu lacrymis, nimio iam parce dolori.
Mors nulli parcit; saevis armata pharetris
Ausa est in iuvenes etiam intorquere sagittas;
Aspice ut heroas pedibus premat illa superbis,
Hos pueros iugulet, regumque palatia scandat.
O Ergaste, novo nimium ne crede colori.
Haud ver purpureum longos perdurat in annos.
Aspice ut horrebat brumali frigore campus!
Tempus erit, caeli cum torrentissimus axis,

Incumbet terris, incendet Syrius agros,
Sit maior, iuvenes, animis sapientia vestris.
Erg. Vera canis, venerande senex, concentibus altis
Demulcent volucres, zephyris spirantibus, auras;
Ecquis nos prohibet dulces depromere cantus;
Pergratos tenui meditemur arundine versus.
Cor. Atra dies, quoniam Thyrsim mihi sustulit aegrum
Carminibus mentem luctu solemur amaro.
Erg. Nos rapit, heu miseros brevis, et non vera voluptas,
Quid decus est formae? veluti rosa sera superbit,
Sole oriente oritur, phoeboque cadente iacebit.
Vita brevis: iuvenes, mediis rapiemur in annis.
Solvitur haud aliter solis percussa calore
Nix, ubi tranquillum phoebus caput extulit undis.
Sic languent plantae, pinguis queis deficit humor.
Cor. Sic heu spica iacet mediis laetissima campis,
Cum magno resonans crepitu ruit aethere grando.
Mors violenta rapit reges, nec parcere novit,
Abstulit infantes primo sub limine vitae.
Erg. Haud aliter flammas incendit, et omnia saevus
Obvia consumit, late spatiatur et ignis
Et sine more furit missis Vulcanus habenis.
Cor. Mors immissa ruit rapido ceu flumine torrens
Qui prosternit agros, sata laeta, boumque labores.
Pal. Parce tuis lacrymis, Coryle, ingentemque dolorem
Pectore mitte tuo, o iuvenis, mentemque serenam
Rebus in adversis semper servare memento:
Serius aut citius sedem properamus ad unam.
Laetitiam cohibe nimiam, o Ergaste, perire
Omnia iam pergunt, nostri labuntur et anni.

Interea, o iuvenes, ad pascua ducite laeta
Armenta hac illac totis errantia campis;
Sertis hinc sacris pulchros intexere flores
Incipite, et Divum cumulate altaria donis.

EGLOGA VII.

De Antii templo fortunae equestri extructo, sive de Antianis casibus.

(Leg. Hor. Ode 29, Lib. I.)

LYCIDAS, ALCIMUS, POLYDORUS.

Lyc. Alcime quae saxa adnitens ingentia volvis
Undantemque levas glomerato pulvere nubem?
Anne leves hamos, nodosaque retia in undas
Mittere es oblitus, solitas et prandere praedas?
Alc. Nescis, quae praetiosa avidus monumenta requiro,
Et quae tempus edax felicia rudera liquit?
Felix qui potuit quondam discedere ab alto
Templo hoc, et sensit praesentia numina Divae!
Lyc. Quam Divam, quod templum, et quae monumenta renarras?
Somnia te ludunt, quae te dementia cepit
Alcime? quid causas, iuvenis, nunc quaeris inanes,
Ut celes magnum, versas quem corde timorem
Æquoris immensos iactantis ad aethera fluctus?
Alc. Vera loquor, rebus nec te deludere vanis
Est animus: mihi quae quondam retulere parentes,
Accipe, nec pigeat nostris advertere dictis.

Hic ubi Volscorum florentes alluit oras
Æquoris unda tumens, Fortunae extruxit equestri
Templum ingens pario de saxo, et turribus altum
Insignis pietate Deam venerata vetustas.
Relliquias cernis vitiatas dentibus aevi.
Diva fuit, solioque potens innixa superbo.
Ante Deam stabat saevum implacabile fatum
Terribilem ostentans vultum, clavosque trabales,
Et cuneos dextra duros gestabat ahena.
Atque tenax uncus sacra pendebat ab aede,
Et liquidum plumbum summo de fornice templi:
Quot populi templum quondam petiere vetustum
Poplite et inflexo trepidabant altaria circum!
Quot pisces hic pontus habet, quot littus arenas,
Quot flores et prata ferunt vernantibus herbis,
Quot variis caelum splendet fulgentibus astris,
Orantes populi Divae tot dona tulere.
Lyc. Magna refers! Supplex equidem sacra munera ferrem,
Si modo divini perstarent limina templi,
Numina captarem fortunae dextra potentis!
At Polydorus adest cymba digressus ab alta,
Et nostras rumpet vario sermone loquelas.
Huc propera, o Polydore, haec et venerare sacrata
Templa Deae supplex: rerum quae summa potestas
Sit Divae haud nescis, tacitoque in pectore servas.
Excipiet forsan voces Fortuna precantum:
Quamvis templa iacent vastos disiecta per agros:
Clarius ast inter fulgentia sydera templum

Alma tenet Fortuna manu fabricata potenti :
Et si forte aderit nobis Dea numine dextro
Haud opus est tantis vitam obiectare periclis
Æquoris indomiti, tantosque subire labores,
Frigora nec patiar, ventos, saevasque procellas.
Poly. Quae, iuvenes, animos cepit dementia vestros,
Et quod fortunae, o stulti, iactatis inanis
Imperium ? heu talem dociles deponite mentem !
Stultorum haec cerebri quondam commenta fuere,
Queis placuit fabricasse Deae de marmore templum,
Et sacris aras votis cumulasse precantum.
Aut Dea non fuit haec unquam : vel caeca favores
Optatos tribuit nullo discrimine facto.
Lyc. Sed cur praecipiti descendit Dacus ab Istro,
Corripuitque gradum propriis digressus ob oris
Medus, et auratas volventis Ganges arenas
Accola, et ingentis tauros mactavit ad aras
Fortunae; laeto veneratus murmure Numen ?
Fortunam coluere Scythae, metuere tyranni
Purpurei, Latiumque ferox, populique superbi.
Pol. Stultorum infelix semper seges extitit alta
In terris, et paucos produxit terra sagaces.
Haud aliter spinae consurgunt undique inanes
Visaque nec sterili consurgere lilia campo,
Nec rosa purpureum stagnis caput extulit altis.
Alc. Nonne Dea haec potuit certum mortalibus aegris
Porrigere auxilium, quos dura premebat egestas ?
Nonne haec detexit secreti arcana futuri ?
Pol. Alcime deciperis : solus Deus arbiter orbis

Et maris, et terrae, et coeli queis imperat unus
Maiestate sua, caecas et frenat abyssos,
Rerumque eventus toto moderetur in orbe
Mortales ridet, rerum si forte futuros
Eventus reservare audent, quos numine summo
Nocte premit caeca, tenebris hinc inde refusis.
Ast bona sufficiant; fruimur queis munere caeli,
Quisque sua et tandem contentus sorte quiescat.
Frenaque qui posuit cordi, ludibria inanis
Fortunae irridet, rerum cui nulla potestas.
Lic. O Polydore, tuus sermo mihi dulcior omni
Melle, est et divina tuis sapientia dictis;
Nunc prudens fatuam mitto de pectore mentem;
O socii, gracili modulemur arundine versus,
Exultent valles, cantantibus assonet Echo.
Alc. Incipe tu, Polydore, prior sequar ipse canentem.
Pol. Ut ratis acta truci ventorum turbine currens
Infelix tandem saevis immergitur undis.
Lyc. Improvida ut volucris crudelibus unguibus acris
Accipitris rapta heu rostro laniatur adunco.
Alc. Mitis uti diris raptatus dentibus agnus
Victima grata lupi conspergit sanguine terras.
Pol. Haud aliter vicibus nimium qui fidit iniquae
Fortunae, ingemuit casus perpessus acerbos.
Lyç. Sic radios mentis violet si dira cupido,
Plenam suppliciis oportet ducere vitam.
Alc. Sic et spes fallaci extollens pectora vultu
Mortales cruciat, saevis et casibus urget.
Pol. Alcime quid cunctaris adhuc, tua lumina ab illis

Nunc remove saxis, donec terat omnia tempus.
Vos igitur queis forte placent bona gaudia, vitam
Si vultis longos tranquillam ducere in annos,
Vesana careat, pravaque cupidine pectus,
Et pravos mores animis evellite vestris,
Maior enim occultus sibi quisque effingitur hostis.

PARS ALTERA.

IN NATIVITATE DOMINI

ELEGIA I.

Rorate, o Coeli! Iustum demittite nubes,
  Iris et auratis serta comis tribuat.
Viscera pandat humus tandem, mundique Redemptor
  Nostra Salus auras prodeat ad superas.
Has Adam genitor fundebat pectore voces
  Infelix calidis ora rigans lacrymis.
Urget enim miserum admissae mens conscia culpae
  Qua tota heu tristis posteritas gemuit.
Heu quid agat? morbis certum praebere levamen,
  Ecquis opem miseris suppeditare potest?
Stultus ego vetitum dextra ausus sumere pomum
  Spernere nec timui iussa verenda Dei!
Stultus ego tribui dictis fallacibus aures,
  Nec patuere mihi Daemonis insidiae!
Flet multum genitor tantorum causa malorum
  Singultusque frequens tristia verba premit.
Ast vultum pulso tandem moerore serenat
  Deponens omnem pectore tristitiam.
Haud aliter saevit stridens cum Aquilone procella
  Mutatis ventis aequora tuta silent.
Surgere nam genitor lucem prospectat Olympo,
  Quae toto densas orbe fugat tenebras.

O Lux salve optata, inquit, lux cadida salve,
Quae pacis confers munera terrigenis.
Haud fallor: radios mitte post saecla nitentes,
Atraque nox cedat lumine victa tuo.
Audiit alma fides, alto quae regnat Olympo
Auratis omen firmat et illa notis.

ELEGIA II.

De puerorum innocentium caede

Ergone mortales animos tam dira cupido
Perbrevis imperii, barbariesque movet,
Impii ut haud timeant sacras contemnere leges,
Sanguine et innocuo contemerare manus?
Vos Bethlem fines sinceros advoco testes,
In quibus Herodis saeviit ira furens!
Heu quae se praebent oculis spectacula nostris!
Talia quis fando temperet a lacrymis?
Barbara iam moestis succedunt agmina tectis,
Cunctaque quae spectas luctus et horror habet
Pectoribus natos miserae admovere parentes,
Fata nec infantes iam subeunda vident;
Hos nequeunt matres defendere, et improbus ensis
Iam iam natorum pectora transadigit.
Nil prosunt teneri gemitus, lacrymaeque parentum,
Sydera nec gladios vocibus icta tenent.
Ac Lupus impastus veluti cum vertice montis
Irruit, incautum dilaceratque pecus,

Nunc hunc nunc illum discerpit dentibus agnum
  Vesanamque explet sanguinis ingluviem ;
Haud aliter miles puerum nunc transfodit illum ,
  Nunc hunc pendentem matris ab uberibus.
Hic tenerae palmae , abscissum caput adiacet illic,
  Sparsaque per maestos pallida membra lares.
Ergone post tantos clades Rex barbarus iram
  Exuet, aut alias sanguinolentus avet ?
Stulte qnid insanis ? quem quaeris diffugit infans ,
  At ipse haud fugies fulmina saeva Dei.

AD VIRGINEM

PHALEUCIUM.

Virgo cur tumidi rubent ocelli
  Fletu , quidve tuus petit puellus ,
  Quem geris gremio ? an rigent tenelli
  Artus horrifico gelu ? aut parentis
  Lactans uber amat suis labellis
  Admovere ? precor , Parens benigna ,
  Aut uber niveo liquore plenum
  Concede : aut calido sinas fovere
  Saltem posse sinu gelu rigentem.
  Quod si , Virgo , dabis , canam perenni
  Te laude , et puerum tuum trecenta
  Usque ad millia basiabo , donec
  Cor fiat saturum osculationum.

PUERO IESU RECENS NATO

NAENIA.

Dulcis nunc age Naenia,
  Nunc lentis animum suffice tibiis ;
Noster carmina populus
  Ardet, nec tenuis respuerit fidem
Plectri. Dicite parvulum
  Mecum vos, pueri, dicite Iesulum ;
Alterno quoque carmine
  Vos Matrem tenerae reddite Virgines ;
Matrem reddite Virginem
  Cui risit facili lumine conditor
Caeli dedere cernuus
  Olli sydereis quodque coëgerat
Thesauris opulentius.
  Neu vos exiguae detineant casae,
Incultique mapalibus
  Culmi pauperies, cui Polus invidet.
Ergo concine barbiton,
  Dum nos in tenues fila docebimus
Lusuri digitis modos.
  Oh! ut dulcis species carmina sufficit,
Frontis lucida Sydera,
  Summis quaeque rubent bina corallia
Circumscripta labellulis,
  Iussae et colla nives fingere, sol comas,

Ridentesque rosae genas!
  Haec mecum tenuis concine naenia,
Haec pubes referat minor.
  Quod si virgineis laudibus et suis
Lusus dormierit puer,
  Tunc functam modulis supprime tibiam.

SIMEONIS VATICINIUM.

ODE.

Quem Virgo peperit, dum puerum sinu
  Complexuque fovet; longa silentia
  Indicit Simeon, exitialia
    Ut Matri et puero canat
Fata. O nate puer, milite plurimo
  Te quaeret furibundum Isacidum genus,
  Gens iurata tuas vertere glorias
    Et regnum fidei novum.
Eheu quanta tibi funera perfidus
  Iudaeus movet! oh quantus adest labor!
  Iam clavos teretes, vincula ferrea,
    Et sentes parat et cruces.
Nequicquam horrificus transeat ut calix
  Orabis: calicem, quem trepidas, bibes!
  Quin tu prospicias sanguine depluo
    E membris lacrymabere.
Urget te Solymae turba procacior,
  Pilatum imperii Romulei arbitrum
  Nosces: ecce furit te reperire atrox

Malcus fulminea manu.
Armatum scuticis undique militem
Non cernis? rigide pectine scinditur
Tergum, artusque tuos membraque verberum
Tempestas ferit impotens.
Qualem cerno comam messibus aureis
Quae visa est melior? vepribus horrida
Incompta est laceris undique crinibus
Spinis sentibus et rubis
Contextis, rabidus quos furor invenit,
Gaudent ingenuum cingere verticem,
Heu nuper placido sole serenius,
Heu quale intueor caput!
Sed iam vulneribus tot male saucium
Hebrei rapiunt luctificium ad iugum,
En dextram niveam cuspide clavus et
Plantam dissecat auream.
Sic coeli Omnipotens Rex mala in arbore
Detestata crucis funera perferet,
In ligno moriens magnus Adamidum
Servator Superum, et Pater.
O et moesta Parens! haec fuerint tua
Crux, clavi, interitus; filius haud tibi hic
Quondam, sponsus erit sed tibi sanguinum
Quondam pectora dividet
Angoris gladius. Dixerat; et Seni,
Qui nasci ut videat, vivere quaesiit,
Ne cernat puerum talia perpeti,
Maturo usque libet mori.

DE CHRISTI PASSIONE

CARMEN.

Hic quam dura refert saevus spectacula collis
Tam fera non alius collis spectacula praebet.
Audio nunc murmur, video velantia signa,
Lumina quo verto, quoque vestigia flecto
Moestitia pars nulla vacat, locus exhibet omnis.
Lumina dum attonitus colli defixa tenebam
Omnem purpureum cerno nunc Golgotha collem;
Aspicio fusca tectum caligine caelum
Labentes densas summis de montibus umbras.
Heu! video gemino noctem nunc sole carentem.
Iam gemitu, iam cuncta fremunt singultibus et iam
Omnes flent rupes, flent alta cacumina, colles,
Saxa gemunt, ipsumque gemit singultibus aether;
Omne nemus foliis, iuga floribus omnia plangunt,
Nec campis idem decus est, nec frondibus idem.
Talia dum recolo, vexat praecordia terror
Linguae vix motus superest, vix halitus ori,
Sed tantum fauces haec aegre in verba resolvo.
Dicite nunc, elementa, mihi, quae causa dolorum?
Corde quid impellit ferales rumpere quaestus?
Nunc mentis curas, cordis saevosque dolores
Tempus erat lenisse; mali quid vota moratur?
Cur nova cur torquent timidum spectacula pectus?
Omnia sunt inamoena mihi, dum talia cerno
Pectora nec flores veris solantur amoeni,

Non volucres cantu , dulci non aura susurro.
Talia dum volvo curis ingentibus aeger
Flebilis ah ! subito moestas vox sparsa per auras
Effaturque mihi magno enim murmure caeli.
Oh dolor ! oh casus! proh non solabile fatum !
Vita perit , moriamur, habet num gaudia funus ?
Arma fremunt Solymae, stridentque fatellitis arma.
Vidimus heu rabies ! manibus post terga revinctum
Numen (sed tantas quis non mirabitur iras ?)
Pulsatum palmis , sputis foedarier ora ;
Discerptos artus, divulsaque membra flagellis ;
Ah quam triste iacet duro sub verbere Numen!
Ecce ferox lictor caelestia pectora nudat ,
Numinis en totis livescunt vulnera membris ,
En tenerum dira transfixum cuspide pectus.
Hoc bene , cuncta Creatorem natura sequatur.
Hoc iuvat extincto , nos an producere vitam ?
Nunc mare nunc tellus concussa repente dehiscant,
Destruat ipsa suum iam iam natura tenorem ;
Aurea fragrantes nec iugera fundite flores ,
Squalleat omnis ager , violae lugete , ligustra ;
Flumina vos fluctus lacrymarum volvite , murmur
Sistite ; nec dulci posthac spirate susurro
Aurae , nec plantae caelo consurgite ramis ,
Et pressis cantum volucres compescite labris.
Ista dies flendi leges , dedit ista gemendi ;
Nam nostrae letho vitae fit subditus Auctor.
Haec ait , et nigra condit caligine vultum
Orbis luminibus funus ne triste videret.

IN VIRGINEM MATREM

SUMMO DOLORE CONFECTAM.

CARMEN.

Funera dum Christi subeunt crudelia menti,
Opprimor immenso confectus corda dolore,
Tristis et extemplo fessos sopor occupat artus.
In somnis ecce ante oculos divious Iesus
Visus adesse mihi devinctus membra columnae.
Hei mihi qualis erat! quantum mutatus ab illo
Iesu! qui nuper populo plaudente superbam
Est Solymam ingressus, quo non speciosior alter
In terris fuerat, cui plurima gratia vultu;
Comis amabilitas, diva et sapientia dictis.
Impia turba virum diris armata flagellis
Stat circum insultans, cui barbara pectora, et ictus
Ingeminat furiata mente; nec invenit ullum
Iam nova plaga locum, fugit decor omnis Iesu.
Horrendum visu! divina per ora, per artus
It cruor, et multo tepefacta est sanguine tellus.
Adstabat Genitrix crudelia vulnera spectans.
Quis mihi nunc tristes lacrymas det prorsus ut alti
Fluminis instar eant, memoranti talia fando?
Hei mihi qualis erat nimio depressa dolore!
Aspicis ut vexent crudeles aequora venti,
Concurrantque euri zephyris, aquilonibus austri,
Praelia dira gerant pelago resonantibus undis?

Talia Virgo Parens patitur certamina: matris
Urget amor, totam tacitis dolor ignibus urit
Iussa sed occurrunt olli Omnipotentis Olympi.
Certat matris amor, certat Patris alta voluntas,
Haec firmat, nimium torquens agit ille Parentem.
Heu quid agat? magno curarum fluctuat aestu.
Illam dura prius necis instrumenta cruentant,
Mox eadem dulcis lacerant quoque corpora nati:
Seu movet insanus crudelia brachia lictor,
In caram lictor movet impia brachia matrem.
Sanguine Progenies nondum perfunditur artus,
Matris hebet, gelidusque coit formidine sanguis.
Seu iacit in Iesum feralia iurgia Miles,
Iurgia descendunt materni cordis ad aures.
Spinea serta Deum lacerant, cerebrumque terebrant,
(Barbara quid memorem?) lacerant quoque serta parentem.
Ecce trahebantur summi ad fastigia montis,
Golgota cui nomen, magna stipante caterva,
Carnificum, pedibusque viam premit ille cruentis.
Exoritur clamorque virum, clangorque tubarum,
Et matrem immenso conturbant omnia luctu.
Iamque supergressi suprema cacumina montis,
Queis nulla est pietas, lacerato ex corpore vestes
Vi magna abripiunt renovantes vulnera Christo.
Qui tibi tunc sensus unquam, o pulcherrima matrum
Quisque tuos poterit lacrymis aequare labores?
Malleus in sobolem nondum vibraverat ictum,
Concidit icta dolens Mater, color ossa relinquit.
Seu clavi fixere manus, praecordia sentit

Fixa Parens : quid agat tantis heu casibus acta ?
Interdum illa caput , redimitaque tempora dumis
Spectat , et aspersos divino sanguine vultus ,
Et dolor , immensum tumet augescitque tuendo.
Par nato matrique color , pas vultus et horror.
Impia vix ferro radiaverat hasta corusco ,
Iamque Parens diro visa est transfixa dolore ;
Hasque dabat lugens tacitas de pectore voces.
Hunc ego te , nate , aspicio ! tu ne ille parentis
Almus honos , decus , et nostri solatia cordis ?
Hei mihi qualis ades , quam multo vulnere caesus!
Saevane tot potuit rabies heu cudere tela ?
Nate , per has ego te lacrymas precor adde Parentem
Casibus his , pereat Mater cui vivere mors est.
Talibus attonitus visis et caede cruenta ,
Excutior somno , gelidos tremor occupat artus ,
Tristiaque in longos solvuntur lumina fletus.
Iudicium iniustum manet alta mente repostum ,
Et scelus horrendum , gemitus luctusque Parentis.

ELEGIA III.

In Divini lateris percussorem.

Quo ruis , o Miles , saevis circumdate telis ?
Eheu crudelis quem petit hasta virum ?
Haud satis est Christum pendentem stipite duro
Innocuum diris occubuisse modis ,
Quin etiam in pectus tentas immittere ferrum ,
Ad varios ictus quis furor arma dedit ?

Haud opus hic armis hostiles vertere turmas,
Aut tumida obsistens mente terendus erat.
Non cadet ille Syphax fortis, cautusque Iugurtha,
Annibal aut saevus matribus atque atavis.
Quid tantas terebrare, caret quod sanguine corpus,
Quem multis possit fundere vulneribus.
Ast honor almus ubi romani gloria civis,
Virtutisque tuae nobile ubi indicium?
Lanceam at interea dextra iaculatur iniqua,
Impia et exanimum transfodit illa latus.
Tigrino fuerat nutritus lacte, vel altis
In sylvis longas duxerat ille dies,
Qui est ausus terrae latebris educere ferrum
Et penetrare viris non adeunda loca,
Saepius indurans rigidis incudibus illud,
Arma superstruxit sanguinolenta viris.
Haec igitur nulli debebant parcere? et ipsum
Auctorem vitae perdere debuerant?
Quamquam oh prodigium! reserato e pectore Christi
Sanguis et unda fluunt contemerantque solum.
Huc propera, o miles, fontes mysteria pandunt,
Gentibus e caelo munera sacra ferunt.
Tu quoque cui tigribus furor est crudelius ipsis
Maiora mox illis munera percipies.

ELEGIA IV.

Dum Christi mortem collacrymatur Poëta, vox quaedam solata est, quae Domini Resurrectionem indicavit.

Ite meae tumidis lacrymae decurrite rivis
His lacrymis urnam paebeat unda meis.
Occubuit tandem Iesus, lux alma diei
Clausit et abiecta nobile corpus humo.
Oh mihi si liceat male gratam linquere lucem,
Quem iuvat extincto vivere posse Deo!
Heu dolor arcanas tacitus vorat ipse medullas
Et penitus lapsus pascitur ossa dolor.
Iam niger ore color, pallens iam mortis imago
Membra tegit, magnus iam subit ossa tremor.
Interea moesti lacrymis sparguntur ocelli;
Hoc habui vitae, cetera mortis erant.
Sic moestus Christi volvebam mente dolores
Et caris somno corpora fessa dabam:
Cum subito laeto misceri murmure caelum
Incipit, et laeto murmure saxa fremunt.
Dispulit horrendas lux circumfusa tenebras
Et claris radiis visa nitere dies.
Surgit io Musae, vox alternata per auras
Auditur placido carmine surgit io.
Iamque fugam pavida meditabar fronte pudendam
Dum nimium validus praeripit ossa timor.
Cum vox aethereas audita repente per auras

Continuit capta territa corda fuga.
Pone metum, iuvenis; quae te dementia cepit
Murmur quam magnas hoc tibi pandit opes.
Luminibus decorata novis nova nascitur Eos
Lumine quo caeli signa minora tegit.
Iam vitae rursus redit generosus ad auras,
Qui fuit orrendae victima caesa necis.
Iam nunc syderea sub luce simillimus astris
Effulsit caelo lucidus ipse Deus.
Ignis habet vultus, ignis caput, ignis ocellos
Ignis ab incenso plurimus ore micat.
Aurea nunc lucet sacra sub fronte venustas
Atque genas almi syderis instar habet.

ELEGIA V.

Fortunae imperium praesidio virtutis facile contemnitur.

Fortunae sacros populus tribuebat honores
Poplite nudato thuraque multa dabat.
Templaque Fortunae sublimibus alta columnis
Surgebant, et erant aurea tecta Deae.
Arbitram et ut rerum gens est venerata per orbem
Stultaque multa aris dona superposuit.
Heu pudor! heu proprum! similis dementia multos
Eheu mortales temporis huius habet.
Fortunae qui cuncta dedit moderamina rerum
Infelix tristem sentit adesse Deam.
Ille ratis veluti diris agitata procellis

Est, modo dans zephiris, dans modo vela notis.
Heu! nimium magnas agit undiqne et undique rimas
  Pupppis, et in mediis fracta dehiscit aquis.
Deprimit instabilis Reges Fortuna superbos,
  Ast illam virtus inclyta posthabuit.
Fortunam irrisit, cui fortia corda, Camillus,
  Et virtus altum nomen ad astra tulit.
Regulus, heroës illam sprevere, nec unquam
  Fortunae sacros attribuere preces.
Nec coluere Deam magni Themistoclis arma,
  Illa duci haud vires consiliumque dedit.
Ast virtus quae cuncta potest Themistoclis alto
  Corde manens tribuit nomen et imperium.
Ipsaque largita est partis gaudere triumphis,
  Captaque de bello signa referre domum.
Proh fortuna potens! metuant tua numina Reges,
  Heroes, metuant regna opulenta Deam.
O Fortuna quibus caelo te laudibus aequem
  Nonne tuo fretus numine stultus erit?

ELEGIA VI.

IN ILLUD HORATII

Raro antecedentem scelestum deseruit pede poena claudo.

Exultans animis, pravaque cupidine ductus
  Impius accumulet crimina criminibus.
Ast illum horrendum densa inter nubila fulgur
  Accensum flammis sternere iam properat.
Dum Catilina parat flammis consumere sacram
  Arcem, urbemque audet perdere Martis opus:
Dum gladios acuit regni malesuada cupido,
  Queis Tybris flueret sanguinolentus aquis;
Detegit insidias consul, belloque cruento
  Prostratus patriae proditor occubuit.
Contemptorque Deûm Clodius, legumque peremptor
  Saevit, nulla hominem vis cohibere potest:
Terribili at splendet ferro iam dextra Milonis,
  Corruit et patriae pestis et opprobrium.
Ecce Iugurtha audax regno sceptroque potitus
  Progreditur spoliis, quae tulit ante tumens;
Sanguinea ast umbra fratrum, quos perdidit ille
  Tradidit et turpi proditione neci,
Ut fera spectra agitant meditantem crimina fraudes
  Dum parta praeda complacet ille sibi.
Devinctum Marius Capitalia ad alta Iugurtham
  Ducit, et infestum scinditur ense caput.

Namque superveniet sera aut cita poena scelesto,
 Quae nunquam illius tergora deseruit;
Ac veluti cerva, inclusam venator anhelus
 Quam forte immissis retibus insequitur,
Infelix tandem volucri percussa sagitta
 Occumbens mordet sanguinolenta solum;
Impius haud aliter, meruit quas crimine poenas
 Persolvit tandem, suppliciumqne subit.
Nec patitur caeli Regnator tempore multo
 Implicitam vitiis vivere progeniem.

SAPPHICON

IN ILLUD HORATII

Saepe Diespiter neglectus incesto addidit integrum.

En velut vermis subiens profundas
 Arboris partes pede lentus illas
 Inficit, nigro et violatur arbor
  Alta veneno.
Impius contagia sic veneni
 Integris spirans subitam ad ruinam
 Pertrahit multos, scelerumque perdit
  Pondere magno.
Interim dum fulmen ab axe mittens
 Iuppiter vindex perimit scelestum,
 Saepius sontem prope funeratus
  Corruit insons.
Si sapis, pestem procul amoveto,
 Poena ne forte immerita innocentem

Te premat velox, citiusque claudas
Lumina morte.
Parce vitae, nec subeas carinam
Quam tenet culpis oneratus atris;
Impius cui mos superos, sacrasque
Spernere leges;
Et time-ne vorticibus profundis
Tu quoque infelix rapiaris una
Impia cum turba, aquilone partes
Flante per omnes.
Sic furens summo veniens olympo
Sternit aequales segetes ruina,
Ac truces spinas, sterilesque plantas
Horrida grando.

SAPPHICON

Pravas omnes cupiditates malus plerumque exitus excipit.

Iuppiter densa premit usque nocte
Posterum tempus tenebrisque volvit,
Dum trahit mentes hominum cupido ad
Irrita vota.
Impii sperant hilares per annos
Vivere, heu caeci! positisque curis
Sed parat iam solvere mors cruenta
Omnia falce.
Lentulus mundo moderabor, inquit,
Et feram leges populo subacto